ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Viro Nobili CONSTANTINO HUGENIO
Iacobus Burghius S. P. D.

Quanquam non ausim sperare, negotium illud de quo Cl. Vicofortius nuper ad me scripsit, confieri posse, non minorem tamen tibi habeo gratiam, quod, dum Illustr. Dni Plenipotentiarij deliberarent super electione eius qui ipsis à secretis esse posset, amicam mei mentionem injicere dignatus sis; si rectè calculum posui, credo Aquilium mihi prælatum iri, Memorem Iunonis ob iram; nunquam enim mihi rectè convenit cum istius Divæ avibus; Aquilio nihil detractum velim; sed num me instructior sit ijs partibus quæ ad spartam illam exornandam requiruntur, illorum qui me rectè norunt iudicio relinquo. Avidè amplexus fuissem istam Provinciam, ut me expedirem ex eo Loco ubi nec pietatem, nec amicitiam colere tutum est. si aliter cessit ego me mea fortuna involvam; Intra decendium spero me te visurum, quod quidem inter præcipuas felicitatis meæ partes deputo; cerevisiam propediem accipies iam à tribus mensibus coctam. suspensa hedera opus non fuerit; sed desino Bacchi sacra confundere. Vale, Vir Nobilissime, & me amare perge; Datum Leodij XVI.° Dcb. 1645

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Burgh) 96
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4226

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Burgh) 96
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4226

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Burgh) 96
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4226

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Burgh) 96
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4226